

30 Et tenerum molli torquet ab arte latus:
 Ut taceam de me, qui causa tangor ab omni,
 Illic Hippolytum pone, Priapus erit.
 Tu, quia tam longa es, veteres heroidas aequas
 Et potes in toto multa iacere toro;
 35 Haec habilis brevitare suast: corrumpor utraque;
 Conveniunt voto longa brevisque meo.
 Non est culta: subit, quid cultae accedere possit;
 Ornatast: dotes exhibet ipsa suas.
 Candida me capiet, capiet me flava puella,
 40 Est etiam in fusco grata colore Venus;
 Seu pendent nivea pulli cervice capilli,
 Leda fuit nigra conspicienda coma;
 Seu flavent, placuit croceis Aurora capillis:
 Omnibus historiis se meus aptat amor.
 45 Me nova sollicitat, me tangit serior aetas:
 Haec melior specie corporis, illa sapit.
 Denique quas tota quisquam probet Urbe puellas,
 Noster in has omnis ambitiosus amor.

V. Nullus amor tantist, (abeas, pharetrate Cupido!)
 Ut mihi sint totiens maxima vota mori.
 Vota mori mea sunt, cum te peccare recordor,
 Ei mihi, perpetuum nata puella malum!
 5 Non mihi deprensae nudant tua facta tabellae,
 Nec data furtive munera crimen habent.
 O utinam arguerem sic, ut non vincere possem!
 Me miserum! quare tam bona causa meast?
 Felix, qui, quod amat, defendere fortiter audet,
 10 Cui sua 'non feci' dicere amica potest!
 Ferreus est nimiumque suo favet ille dolori,
 Cui petitur victa palma cruenta rea.
 Ipse miser vidi, cum me dormire putares,
 Sobrius adposito crimina vestra mero;
 15 Multa supercilio vidi vibrante loquentes:
 Nutibus in vestris pars bona vocis erat.
 Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino